

sariò admonet Dominus, ut in oratione dicamus: Et ne nos patiaris induci in temptationem. Quia in parte ostenditur, nihil contra nos aduersarium posse, nisi Deus ante permiserit; ut omnis timor noster et devotio atque observatio ad Deum convertatur, quando in temptationibus nostris nihil malo liceat, nisi potestas inde tribuatur. Probat scriptura divina, quae dicit: Venit Nabuchodonosor rex Babyloniae in Hierusalem, et expugnabat eam, et dedit eam Deus in manum ejus. Datur autem potestas adversus nos malo secundum nostra peccata, sicut scriptum est: Quis dedit in direptionem Jacob et Israël eis, qui praedantur illum? Nonne Deus, cui peccaverunt, et nolebant in viis ejus ambulare, neque audire legem ejus, et superduxit super eos iram animationis suae? Et iterum, Salomone peccante et à praceptoribus atque à viis Domini recedente, positum est: Et excitavit Dominus satanam ipsi Salomoni. Potestas vero dupliciter adversus nos datur vel ad poenam, cum delinquimus, vel ad gloriam, cum probamur; sicuti de Iob factum videmus, manifestante Deo et dicente: Ecce omnia, quaecumque habet, in manus tuas do, sed ipsum cave ne tangas. Et Dominus in evangelio suo loquitur tempore passionis ad Pilatum: Nullam haberes aduersum me potestatem, nisi data esset tibi desuper. Quando autem rogamus, ne in temptationem veniamus, admonemur infirmitatis et imbecillitatis nostrae, dum sic rogamus, ne quis se insolenter extollat, ne quis sibi superbè atque arroganter aliquid assumat, ne quis sibi aut confessionis, aut passionis gloriam suam ducat, cum Dominus ipse humilitatem docens dixerit: Vigilate et orate, ne veniatis in temptationem. Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma: ut dum praecedit humilis et sumissa confessio, et datur totum Deo, quicquid suppliciter cum timore et honore Dei petitur, ipsius pietate praestetur. Post ista omnia in consummatione